

Quæstio II.

Qualis utilitas ex hoc tentamine speranda sit?

Duplex hinc nasci puto commodum, nempe

- I. Ratione salis non tantum ex aqua marina, sed etiam ex falsulis scaturiente, coquendi.
2. Ratione aquæ marinæ edulcorandæ.

§. I.

AD primum commodum quod attinet, neminem ignorare arbitror, sal non tantum calore solis, & quidem in regionibus Æquatori vicinioribus, nempe Hispania, Lusitania, Gallia &c. fieri, sed etiam in Septentrionalioribus oris mediante igne coqui.

§. 2. Posterior hic modus maximè variat. Aut enim in locis mediterraneis ex falsulis, aut in regionibus maritimis ex aqua marina paratur sal, & utrobique iterum ob diversas aquarum facultates vario modo. Prius autem de falsulis, ex quibus sal coquitur, agam.

§. 3. Si igitur aqua ex falsulis scaturiens sufficienti salis copiâ sit imprægnata, sine ulteriori præparatione instituitur coctio, uti *Lüneburgi*, ubi brevi tempore in plumbeis catinis absque omni additamento sal coquunt optimum. *Vid. Acta Philos. Angl. ann. 1666. d. 8. Jan. §. 5. pag. 102.* In Angliæ Comitatu *Cestrensi*, & quidem in civitate *Nantwvich*, fontem, cujus aquæ quatuor partes unam salis, & alium fontem, cujus muriæ sex libræ unam libram salis relinquunt, reperiri ead. *Acta ad an. 1669. 15. Nov. §. 5. p. 883.* testantur.

§. 4. *Hale* Saxonum vero, & *Salzungæ* in Thuringiâ, nescio quamobrem, non nihil sanguinis bubuli vel etiam cerevisiæ affundere debent, si granulatum sal facere velint. *Conf. Act. Angl. d. loc.*

§. 5. Ubi vero falsularum aqua est tenuior, ut suntibus coctioni impendendis parcant, proluxa præparatione opus est. Aquam ergò elevant embolis ad culmina ædificiorum stramine tectorum, unde per stramen tecti, nec non per innumeros straminis fasciculos, in illo ædificio suspensos, aqua defluens magnam partem hu-

B 2

mo-